

ORDO ET SPATIA EPISCOPORUM ROMANORUM IN LIBRO PONTIFICALI.

Nomina episcoporum urbis Romae cum spatiis episcopatum praeter annos etiam menses diesque enuntiantibus, quae libro Ponticali pro fundamento sunt, unde venerint, hodie exploratum est. Scilicet extiterunt antiquo tempore et extant adhuc laterculi episcoporum duo Latine scripti¹, quos duos adhibuerunt qui librum hunc compilarunt auxeruntve. Sunt autem hi.

1. Liberianus qui dicitur, insertus chronographiae urbanae scriptae a. p. Chr. 354 imperante Constantio II. sub episcopo urbis Liberio, a nobis editus in chronicorum minorum volumine primo p. 73—76, habet praeter episcoporum nomina eorumque annos menses dies adnotationes quasdam rerum memorabilium, medium ita locum tenens inter laterculum et chronographiam. Hunc Ponticalis totidem fere verbis et ita, ut singula capita ab hisce excerptis ordiri soleant, suo volumini inseruit.

2. Index quem nos nuncupamus laterculus est habens praeter nomina solos annos menses dies episcopatus, scilicet is, cuius novem exemplaria Duchesnius vol. 1 p. 24—33 composuit et a quo pendent reliqui quoque qui passim in

1) Chronicis Hieronymianis, quibus inserta sunt episcoporum Romanorum nomina cum annis, sed omissis fere mensibus diebusque, in Ponticali libro formando nullae partes datae sunt. Tractabimus autem hoc loco non quaestionem difficillimam et late patentem de episcoporum Romanorum origine et ordine, quam duo viri egregii Lightfoot (*the apostolic fathers, Clement* vol. 1 p. 201 seq.) et Harnack (act. minor. acad. Berol. a. 1892 p. 617 sq.) doctrina et sagacitate sibi propria nuper elucidaverunt. Utiliter praeterea adhibebuntur quae de spatiis episcoporum exposuit Duchesnius praesertim vol. 1 p. XVI—XXI, ubi tamen delenda sunt quae de consensu Prosperi cum libro Ponticali exposuit; chronica Prosperi ad libros recensita ostenderunt auctorem nomina episcoporum Romanorum sola posuisse, spatia addita esse ab interpolatoribus plerumque usis ipso libro Ponticali. Nos hoc solum nobis proposuimus explorare, quibusnam auctoribus in ordine episcoporum constituendo spatiisque episcopatum determinandis ii usi sint qui Pontificalem librum formarunt et formatum recensuerunt.